Progymnasmata quædam,

QUIBUS

In Philosophici Tyrocinii jam præterlapsi Specimen decertabunt

A. P. D. O. M. Adolescentes aliquot ex Lyceo EDINBURGENO ad Magisterialem Lauream aspirantes, in Æde sacrâ *Hyestorensi* ad diem *JULII* 18.

Sub Præsidio *IOANNIS STLVII.*

——Semel insanivimus omnes

——Diis proximus ille est
Quem ratio non ira movet qui facta rependens
Consilio punire potest——Claudian in Consulat: Manlii

Edinburgi, Excudebat *Andreas Anderson*, Civitatis & Academiæ *Edinensis* Typographus. *Anno* DOM. 1670

Sylvie

1174

8366. bb. 17.

Progymnasmata quædam,

QUIBUS

In Philosophici Tyrocinii jam præterlapsi Specimen decertabunt

A. P. D. O. M. Adolescentes aliquot ex Lyceo EDINBURGENO ad Magisterialem Lauream aspirantes, in Æde sacrâ *Hyesterensi* ad diem *JULII* 18.

Sub Præsidio *IOANNIS SYLVII.*

——Semel insanivimus omnes

——Diis proximus ille est
Quem ratio non iramovet qui facta rependens
Consilio punire potest——Claudian in Consulat : Manlii

Edinburgi, Excudebat *Andreas Anderson*, Civitatis & Academiæ *Edinensis* Typographus. *Anno* DOM. 1670

Magnificentiſſimo, Clariſſimo, Ampliſſimo

D.D. Andreæ Ramſay

ab *Abbotſ-hall*; *Skares*, *Weſt-mill*, &c.

Equiti Aurato;

CIVITATIS *EDINBURGENÆ* CONSULI

Conſultiſſimo:

NEC NON,

Colendiſſimo, Spectatiſſimo, ac Generoſiſſimo

JUVENI,

D. D. *ANDREÆ RAMSAY*

Juniori, Filio ipſius natu-maximo,

à *Wawghtoun*, *Baſs*, *Eaſt forton*, &c.

Equiti Aurato Baronetto.

Mæcenatibus ſuis Munificentiſſimis,

& Præclariſsmis Patronis. *S. P. D.*

NOn pro more, ſed ex indelebili Officii ſenſu, haſce Conjecturas Philoſophicas Veſtri Nominis celebritate illuſtrare conſtitui. Hîc autem non fruſtra connitar prolixam & ſplendidiſſimam Proavorum & Ataverum ſeriem, in Gentis noſtræ Annalibus tam celebrem & Saguli & Togæ Decore renitentem recenſere; Cùm Tu omnibus quibuſcunque Majoribus Virtutum Tuarum ſplendore & famæ magnitudine um-

bram

bram feceris, quod vel ipsius Ætavi Tui Bothuelii *Manes agnoscerent; Qui* lætus *jam* ab Æthere cernit,

——— se sactis crevisse Tuis.

neque ineffabilem Ingenii & Acuminis Tui vim, ultra Herculis *Columnas provectam, quæ etiam in ipsos Aurorę thalamos dimanavit graphicè effigiare inutili operâ contendam; ut enim ipse humano fastigio Major es, sic languida tantùm humanitatis præconia spernis, cùm in Te exornando longè infrà Æviterni Tui Nominis gloriam, & diffusissimum Meritorum Tuorum nitorem subsiderent, & turpiter defatiscerent, vel præstantissima ipsorum Elogia.*

Huc tantùm collimabam, ut quicunq; ex hâc schedulâ aliquid tale ac me, in rerum naturâ, existere deprehenderent, ejusdem etiam Pagellæ monitu ac præconio dignoscerent me, munificentiæ ac affectui Tuo pro qualicunque ingenii (in hoc Lycæo) *culturâ, & aliis nullo calculo enumerandis benevolentiæ evergematis, non tantùm ultra quod verba, vel phantasia pernicissima licet suggerat, devinctum stare; sed & insuper ultra quod vitalis ille calor meus, pro nutu Tuo, semper eliquandus retribuere possit:*

Quâ celebrem mea vota Lyrâ? Quas solvere grates
Sufficiam? Non si pariter mihi vertice læto,
Nectat odoratas & Smyrna & Mantua Lauros
Digna loquar. ———

Cùm nulla dicendi aut scribendi facultas, hæc enarrare valeat, & mediocritatem meam prorsus excedant, non aggrediar. Tantùm enixissimis votis expeto, ut in hoc tam feraci Censorum sæculo, sub Serenissimi Vultûs Tui Tutela & Patrocinio, tutus delitescam, & ut etiam ex solitâ affectûs Tui indulgentiâ subactissimi Judicii Tui limam effugiat, Immaturus hic fœtus, nulla Obstetrici curâ in medium jam projectus, quod si adspirantibus mihi prosperis fatis annueris, pro reliquorum superciliis nullatenus sollicitus ero, Tui enim Cultores Tuo Clienti veniam dabunt, & omnes quibus vel Pietas, vel Virtus, vel Scientia, in pretio est. Te suspiciunt & cernuo obsequio colunt, si horum suffragiis absolvar, rodant pro lubitu sorices, nihil moror:

Non ego ventosæ Plebis suffragia venor.

Quod

Quod ad Te attinet (Generossime Heros) *qui licet tanto Parente, & ad tantam Fortunæ spem natus, omni etiam Virtutis genere illustratus sis, hæc tamen cristas non addiderunt, nullâ enim pestilentis arrogantiæ aurâ turges, dignum Natali solo Ornamentum es, digna Parenti Progenies, nec degener Patris Partus, Propensissimus iste animi affectus (quo me immerentem prorsus semper complectebaris & devinxisti; ita ut jam nisi fato avelli nequeam) exigebat, ut cùm nihil, aliud superesset, præter vota, pro vestrâ Incolumitate levidensi saltem hoc munusculo attestarer, quantis nominibus tenear aram (indignus licet) Patris memoriæ ponere, spei etiam ac fœlicitati Filii, votivam hanc tabulam consecrare; quamvis humili, affectuosissimâ tamen Pietate; uti ipsum decet qui in sæcula remanebit*

Illustrissimæ Dominationis, Amplitudinis
& Honoris Tui Observantissimus Famulus,
& Generosissimi etiam Tui Nominis
Obsequentissimus Cultor,

IOANNES SYLVIUS.

Theſes haſce Propugnabunt

Adamus Mchutcheſon
Alexander Drummond
Alexander Lauſon
Andreas Darling
Archbaldus Buchan
Archbaldus Mcgachen
Calenus Dalgleiſh
Carolus Gray
Donaldus Mcleoid
Georgius Haliburton
Georgius Herriot
Georgius Milton
Georgius Mulliken
Georgius Norvell
Georgius Purves
Gualterus Dennelton
Guilielmus Borthwick
Guilielmus Cheyn
Guilielmus Cockburn
Guilielmus Guthrie
Guilielmus Hogg
Guilielmus Hogg alter
Guilielmus Richardſon
Guilielmus Roſs
Guilielmus Thomſon
Henricus Walker
Hugo Davidſon

Iacobus Cathcart
Iacobus Don
Iacobus Donnaldſon
Iacobus Donnaldſon al.
Iacobus Kirkwood
Iacobus Mckenzie
Iacobus Nisbett
Iacobus Roſs
Ioannes Abernethie
Ioannes Buthel
Ioannes Carſan
Ioannes Lauder
Ioannes Mcquorne
Ioannes Mitchel
Ioannes Shaw
IoannesSinclair
Ioannes Smith
Ionathan Keyes
Matthæus Moncreiſe
Patricius Cumine
Richardus Simſon
Robertus Sinclar
Richardus Waerd
Robertus Hume
Robertus Scot
Thomas Hague
Thomas Smith

THESES LOGICÆ.

NOnusque adeò miserum est humanum genus, ut vulgi quærimoniis jactatur, quamdiu indulgentiâ Divinâ ἔρως ille ardor, *Ratio* sc. in pectore residet, quæ conditissimâ sua dulcedine omnes qualescunque vel luctuosissimæ sortis asperitates in hoc curarum specu emoliri ac lenire potest. Hæc titubantes dirigit gradus: ab implicatissimis etiam difficultatum tendiculis mortales explicare ac expedire valet, si modo præeuntem ipsius facem sequantur: quamobrem frustra de minus propitiis fatis conqueruntur homines quamdiu præclarissimo hoc Rationis solatio non destituuntur: in cujus accurata definitione non diu immorandum duximus: nam plerique, alioquin satis celebres, ex instituto etiam huc collimantes, in medio tamen reliquerunt: & tanquam —— *comprensa manus effugit imago.* Neque mirum: ipsius quippe animi manus & oculus est, cætera quæque prehendens, & lynceâ suâ perspicacitate disquirens, semet solâ demptâ; unde (quod quidam ex proavis in allo themate) hîc opportunè occurrit, *Si nemo ex me, quid sit; quærit, scio: si vero alteri explicare velim, plane nescio:* Quippe veluti Mercurius, aut volatilis admodum Hydrargyrus, omnes aspernatur limites, tanquam *Prisma* demum, aut Pannus ex variegato holoserico compositus, seu colores in collo Columbæ, nunc sic; illico vero secùs, eidem etiam ex adverso intuenti compareat. *Interim* ne in portu impegisse, aut vadimonium prorsus deseruisse videamur; per *Rationem* intelligimus cum vulgo, vel ipsam facultatem rationalem omnibus quibuscunque *Adæ* posteris communem; vel prima ista Principia quibus Intellectus in facultatis suæ exercitio dirigitur, quæ pro ratione etiam sæpe sæpius κατ' ἐξοχην supponunt: & sic coincidit cum veritate naturali ab hujusmodi principiis & conclusionibus, idque sepositâ omni distortione, dimanante. Per hujusmodi igitur principia non intelligimus

hujus aut istius Philosophi placita: neque Criteria Syllogismi Aristotelica: sed innata tantum ista νοήματα animis nostris naturaliter insita, quæ nec ab objectis extrinsecis, neque à phantasia exoriuntur; sed immediate, independenter etiam à deductionibus aut consequentiis logicis, intellectui obvia & manifesta sunt, vel ipso primo intuitu: cujusmodi sunt, *Contradictoria nequeunt esse simul vera*: *& similia.*

Hujusce igitur Rationis studio *Destinatus*, haud asque solatio mecum recolo, quam versatilis sit: ineffabiliter quasi à semet ipsâ discrepans, dum serio, dum vero joco tantum, & per tramennam occupatur: lascivienti suo genio turgida, & petulanti splene cahinnans, novum quasi orbem instituit, ad lusum & jocum tantum exornatum, cujus incolæ fictam tantummodo & exsanguem prorsus essentiam sortiuntur; hic, tanquam in specu Platanico delitesceret, rerum umbras pro rebus ipsis sectatur, omnia τεχνολογήματα ista & in Logicâ & in aliis Scientiis expedite subministrans: quæ omnia tunc in occulto fuerant cum rebus singulis nomina apposita imponeret Protoplastus *Adamus*. Laborioso etiam huic otio indulgens de Universalis fabricâ non minus operose quam de ipsius Universi, structura desudat, interminabiles lites instituens, num actu & à parte rei existat hoc spectrum, licet nullibi compareat; an verò rationis tantum opus & phantasma fuerit: sive demum à collatâ rerum inter semet similitudine resultaverit, hoc puerile crepitaculum. Præstigiatrix etiam hæc facultas ideas Platonicas in concavo Lunæ apud *Menippum* residentes, attonitis speculatur oculis: Prolixam admodum cogitationum reflexarum seriem connectit, solitâ suâ facundia de Obscuris istis Entium realium simulacris operose disserens: quæ omnia magis expansis ulnis complectuntur quod fucatus subtilitatis titulus hisce strophis & argutiis famam conciliarit?

Sepositis tandem hisce facetiis, sedata & in umbroso Symbolorum nemore recubans, inficeta ista legumina & insipidas delicias, aspernanti supercilio dedignata, semet tunc & Creatorem suum serio licet tacitè, liberis perspicacissimi judicii noematis contemplatur.

Unde

Unde omnium primo tanquam pro solidissimo fundamento statuit, facultatem Philosophandi menti nostræ connatam & congenitam esse, non vero acquisitam; quippe aliquis primo sine Præceptore Philosophatus est: & licet quotquot unquam conscripta fuerant evanuissent opera, Philosophari tamen adhuc licuisset; quamdiu sc. individuus animæ comes *Ratio*, fidus iste Achates, omnibus umbra locis, remanserit, Cujus monitis auscultandum, cum Philosophiæ fons & Regula sit. Quantumcunque igitur hujus placita ab Aristotelicis dissentiant, non ambigendum cui in hoc casu obsequium debeamus. Coram æternùm suspiciendis *Rationis* fascibus cernui procidamus: quippe, *Intelligere, non credere, Philosophiæ dignitas est.* Rationi proculdubio auscultandum potius ex topico isto: *Propter quòd unumquodque est tale, &c.* Ex rationis enim suffragio, autoritati Philosophorum innitimur: absurdum enim reverentiæ genus esset, absque ratione, cæcâ & implicitâ fide jurare in verba Magistri: Omnes in confesso est errasse Philosophos: ipsa tamen Philosophia hinc non coarguenda erroris: quippe scientia non fuerit, sed fallax tantum opinio, si modo mentita sint ipsius fundamenta. Quamobrem sepositâ Philosophorum autoritate, suadet Ratio Philosophiam ipsam veritatis scientiam esse cui cum tantum tribuendum sit quantum mens humana ratiocinando assequi potest diffusissimæ proculdubio molis erit. Unde *Seneca*: in *Philosophiâ, re maximâ & involutissima, cum etiam multum actum fuerit, omnis tamen ætas quod agat inveniet.*

Hinc *Ratio* nullatenus partium studio occæcata ex Delphico suo Tripode prætumidam Academicorum vanitatem redarguit, *Scientiam* contra ipsos astruens, eamque propriè satis dictam; & cum & absque sensuum adminiculo, nobis etiam viatoribus, merito competere, præsidenti & infallibili suffragio suadet; quippe mens humana, inquit, eam etiamnum habet quam ante lapsum intelligendi facultatem: hæc enim intelligendi vis & facultas omnibus ex æquo dispensatur; eâdem enim est substantia omnium quæ sub eadem specie complectuntur: &, cum à mente nullatenus separari possit; nec plus nec minus quoad facultatem, pollent: quia incorporea partibus individua sunt, nec

 sublata

ſublatâ aliquâ parte ſubſiſtere queunt: fruſtra igitur quiſpiam ſibi ſuadere conniteretur facultatem hanc aut iſtam, paucis aliis ſuperſtitibus, periiſſe.

Poſtquam igitur mentem humanam à maculis iſtis, quibus ab imperitioribus offuſcatur, ſtrenuè vindicaverit, progreditur; & diſcrimen inter veritatem & falſitatem ocyus obſervat, utriuſque Criteria fideliter ſubſtituens: denique fœlicitati noſtræ ſeriò proſpiciens, poſtquam exploraverit, ex variâ cerebri & Organorum temperie, alios aliis longè ſœlicius & expeditius animi ſui & ingenii vires exerere; Hinc, in gratiam eorum qui nequeunt nare ſine ſubere, ſuadet; ut ingenioſiſſima iſta diſſerendi methodus *Logica* Scientiarum Miniſtra, laboranti Juniorum naturæ coaptetur: ut ſic ſc. ex Vulcaneis ſtrophárum & antiſtrophárum vinculis ſemet commodius expediant: in quâ methodo exornandâ, *Ariſtotelem* reliquis palmam præripuiſſe non diffitemur; licet rationem in omnibus, nec ad Priorum nec ad Poſteriorum amuſſim aut trutinam, ſemper expendendam eſſe putemus.

Hîc tamen in porticu ſpeciatim ſubſtituendum duximus: quod, licet divinæ rationis veſtigia ſummoperè exoſculemur; huic tamen nullatenus Thelogico Thure litandum volumus; abſit! ſuum cuique tribuatur: Futili igitur prorſus ſuffragio huic etiam faſces Theologicos ſubmiſerunt ipſius, in hoc puncto, cultores δεισιδαιμονεςεροι: à quorum præpoſtero zelo refugit ipſa *Ratio*: Revelationem enim Divinam ex ipſius & falli & fallere neſciâ Veracitate, certo certiorem imo certiſſimam pronunciat: huic etiam intrepidé fidem abſque muſſitanti Phantaſiæ moroſitate adhibendam ſtatuit; quum nihil magis *Rationi* correſpondeat, quam infallibili Supremi Numinis autoritati adhærere: unde inter omnes demonſtrationes nihil tam apodeicticum quam illud, *Deus dixit*: Er. *Eſt verum.* Hinc ſubjungit *Ratio*: ſicuti rerum quæ ſunt unicum eſt principium, unaque mens eſt hominis, quâ Philoſophus eſt, atque Theologus; ſic unica tantùm eſt in eâdem mente Veritas, cui prater mendacium nihil poteſt eſſe contrarium: nullam igitur Veritatem Theologicam falſitatis redarguit Philoſophia: *nunc* tamen

tamen petet alta volatu Sanctum Sanctorum equidem non habet Philoſophia, arcanum tamen Divini Conſilii labyrinthum pertenui Rationis naturalis filo explorare non tantùm ſtultitiæ eſt in hominibus, ſed in ipſis Angelis audaciæ cum utrique famuli tantum ſimus non autem Senatores: ſuccumbat igitur *Ratio Fidei*, & captiva quieſcat.

Fruſtra hîc diſquireremus quomodo Scientia. Fides & Opinio conveniant & differant inter ſemet invicem: cum in male feriato hoc ſæculo Opinionem & Fidem nimium coincidiſſe compertum ſit; & unicuique etiam Apodeicticum ſatis videatur ſententiæ ſuæ fundamentum.

THESES MORALES.

FRuſtra admodum genio indulgerem in Philoſphiæ moralis præconiis emodulandis, cùm ipſe *Solomon*, illuſtri licet gloriâ circumfulgens, Ethicam tamen ex ſolio ſuo tanquam cathedrâ, ſtupentibus auditoribus prælegere haud dedignatus ſit, ſic commodiſſimè *aſtutiâ ſatuos, Scientiâ etiam & ſolertiâ pueros inſtituens.*

Quibus verò ex Delphico Tripode oracula potius arrident, hujus etiam ſuffragio ejuſdem ſtudii dignitas comprobatur; cùm & hoc, & Ethnicorum teſtimoniis *Socrates* præ reliquis Sapientiſſimus conſtitueretur; quòd ſc. moralibus præcipuè curis incumberet, poſthabitis aëriis iſtis ſcrutinii noſtri plerumque diſquiſitionibus, quas tanquam pueriles nugas & quiſquilias repudiabat, hâc tantùm Scientiâ, vel Arte potius, poſteris inclareſcere volebat, nam reliqua apud ipſum λογῶν tantum ϕορὸν audiebant.

Hîc etiam dominium ſibi vendicat *Ratio*, ipſa quippe *morum regula*, quæ Legis Naturalis exiſtentiam & commoda infallibili teſtimonio ſuàdet; itemque quod huic Legi morem gerere teneamur; cùm hanc nec Catholicus generis humani Conſenſus, nec Conſuetudo (cujus origo non minus latet plerumque quàm ipſius *Nili* ſcaturigo) nec etiam Jura Gentium

introduxerint: sic enim Leges Naturæ Opiniones tantùm suas faceret Philosophia. Altius longè dimanat hæc Lex quippe non est ἐυφήμως εἰς χρόνος; Sed, uti *Cicero*, *Recta ratio Summi Jovis à Numine Deorum tracta, Lex vera est atque princeps, imperans honesta & prohibens contraria.*

Per hanc igitur Legem Naturæ, ne à trito tramite defeciſſe videamur, intelligimus, cum vulgo, congenita iſta principia quæ non didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipſa naturâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad *quæ* non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus: cujuſmodi ſunt, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, &c.

Ab hiſce inſitis principiis cætera quæquæ, etiam jura humana, ſimodo jura fuerint, hoc eſt, effata quæ ab æquitatis tripode dimnaverint, ope *Rationis* abſque *Elia* Corvo (pro quo tantùm contendit *Adam* de *Mariſco*) derivantur.

Hæc enim *Ratio* eſt *Lucerna* JEHOVÆ: hæc anima hominis perveſtigans penetralia ventris: quo ſpectare volunt quidam iſtud Regii Vatis, *Signatum ſuper nos eſt lumen vultus tui.*

Ab hiſce enim genuinâ & nullatenus diſtortâ conſequentiâ, ope *Rationis* manifeſtum eſt, & cultum DEO ex officio alacriter exhibendum eſſe, obſequium etiam venerandis ipſius Mandatis à nobis ſummo jure præſtandum.

Et non tantùm hoc, ſed inſuper Virtutem expanſis ulnis amplectendam ſuadet: Sic officium erga Socios præmonſtrans, limites hinc ſubſtituit quibus & bonum, & malum morale continentur: quippe omnia inquit ad deſtinatum aliquem finem tendunt, quò certis quibuſdam & conſtitutis regulis diriguntur: cujuſmodi in iis qui judicio electivo pollent. *Leges* ſunt à quibus ſpontanea receſſio ſolidiſſimæ rationis ſuffragio *Vitium* ſtatuitur.

Hinc inter Parentes & Liberos mutuum officium intercedere conſtat; & eodem jure, inter Principem & Subditos: Officium etiam gratitudinis inter Patronum & Clientem, licet non explicitè, tamen quaſi ex *contractu* naturaliter ſatis ſequitur. Vindicatio etiam Vitæ, ab ingruenti hoſtium periculo admodum rationalis eſt, hoc & Ratio Doctis, & Neceſſitas Barbaris, Mos Gentibus, & Feris ipſa Natura præſcripſit. Hîc tamen

men non obstante, quod aliud suggerat *Philautia*, suadet interim *Ratio* cum *Cicerone*, *Si vita nostra in vim, seu telas Latronum aut inimicorum inciderit, honestam tantùm rationem salutis expediendæ amplectendam esse.* Unde clarissimè *Vatiniano* prorsus odio ἀυτοχειρίαν exhorrescit: si enim non licet alterius vitam pro lubitu adimere, multo minus propriam, procul omni dubio.

Ex quibus omnibus, haud absque gravissimis Rationis momentis, concludit & Ætatis & Gentis suæ Ornamentum, Juris-Consultissimus & Prudentissimus D. D. de *Stair*, in Consultis hujus Regni Juridicis; Concludit, inquam, non obstante dissidentium strepitu, *Juris-prudentiam* Disciplinam esse rationalem; quum ipsius Legis Corpus sit Æquitas, cujus summam appositissimè in *obsequium, libertatem, & mutuam stipulationem* distribuisse videtur: Correspondenter etiam principiis & fundamentis a se jactis, reliquam superstruxisse Fabricam perquam fœlicibus fœliciſſimi ingenii auspiciis.

Suadet ulterius Ratio hominem sui juris esse, & actionum suarum Dominum: unde stipulationibus & pactis mordicùs adhærendum, si modo nostri Juris fuerimus stipulantes, neque vi sc. neque delirio, neque passionibus impediti; & si modo etiam conditio aliqua vel de Jure vel de facto impossibilis, in pactoi non comprehendatur: hæc igitur libertas solidissima Humanitatis tessera Rationi videtur: *separat hæc nos â grege mutorum*; quippe Bruta nullâ Lege tenentur; ex impetu enim & instinctu Naturæ agunt semper quantum possunt: unde male feriato tantum otio indulgent horum Patroni ipsis vel rationalitatem, vel fœlicitatem attribuentes: quod æquè ridiculum est ac, cum *Thasiæ* Incolis, *Niconis* statuam casu homicidii ream in mare in delicti sc. pœnam projicere; quum ibi damnum illatum fuerat absque injuriâ ex parte facientis: & eodem modo Bruta injuriam inferre nequeunt; quum discriminativo & liciti & illiciti sensu destituantur. Hæc Libertas commodè satis cum omni-scienti præscientiâ Divinâ consistere videtur: de speciali autem modo determinare non opis est nostræ: Hominis est hæc opinari; scire autem ad Deum solùm spectat:

mult-

multò tutiùs est hîc cautam & humilem ignorantiam confiteri quàm falsam profiteri scientiam; ubicunque potiùs quàm in hoc Themate arridet *juveniles exercere calores*.

THESES METAPHYSICÆ.

MOnstrosum admodum videtur, non obstante Rationis impetu; quidam tamen etiam absurdissimarum Sententiarum Patrocinium susceperunt, aliisq; suadere & imponere conati sunt; unde reluctanti licet tanquam pro aris & focis Catholico tum rationis tum fidei, idque ubique terrarum, suffragio, in lucem tamen quosdam prodiisse ferunt stultitiâ ingeniosiores, licet infra & Rationem & Religionem longè subsideret ipsorum prudentia, qui (horresco referens) ipsius Causæ Primæ existentiam pernegarunt, cujusmodi atro catalogo accensentur *Diagoras Milesius*, *Theodorus Cyrenaicus*, *Evemerus*, *Theagites*, *Protagoras*, *Lucretius*, *Vanninus*, & secundum plerosque *Lucianus*.

Verum quicquid ex affectata singularitate quispiam verbis constituerit; Atheismum tamen speculativum nullatenus cum Rationalitate aut Humanitate consistere posse inter Prima Principia reputamus; cum semper nolentes volentes ad Primam Causam & Primum Motorem rectâ viâ deducamur: nullus tam fatuus qui creaturam absque Creatore existere posse sibi suadeat: Sed ad hominem; quum universæ rerum species, quas individuâ generatione conservant, aliquando ceperint, necessario ab aliquo ipsis prius existente ortum habuerunt; id ipsum verò vel ab alio pariter, & sic in infinitum; vel sui ipsius causa & effectus est, quod æquè impossibile: sed dato quod per impossibile hoc amplecteretur, an non si modo sibimet essentiam imprimerent, eodem jure etiam pro lubitu continuare possent, ex trito illo effato, *Quod potest majus potest minus*: Sed ubinam terrarum degit jactabundus hic *Thraso* tàm portentosa sibi vendicans; & licet prodeat, tamen hi motus animorum atque

hæc

hæc certamina tanta pulveris exigui jactu compressa quiescent: Supremum igitur Numen securis adoremus oculis.

Ratio etiam suadet DEUM esse Ens perfectissimum Omnipotentiâ proculdubio præditum: unde dedignanti supercilio futiles istas rixas de possibilitate aspernatur, num scil. res sit possibilis, quia DEUS potest facere; an verò quia res ipsæ possunt fieri: cum floridissima hujus creatæ compagis propago certo certius à nutu ejus prorsus dependeat, & productorum & producibilium regula sit Natura ipsius summè Rationalis.

Ratio etiam suadet hanc Causam Primam, & hanc solummodo infinitam esse, nilque omnino quod vel factum vel futurum est infinitum esse posse: Divinam enim Potentiam deprimere potius quàm evehere nobis videntur, qui pio satis verisimiliter zelo contrariam sententiam propugnant: quicquid enim regerant de *Omnipotentia* hoc tantummodo in non contradictoriis limitandum semper videtur; cùm nobis, si possit omnia (omni sepositâ restrictione) nequaquam videatur Omnipotens: quippe si Potentiam sibi similem faceret eadem foret impotens, (absit blasphemiarum blasphemia!) cum duo omnem potentiam habere nequeant: unum etiam, si possit ab altero mutari, sua passione, suam exponeret impotentiam; sin immutari nequeat alterius hâc ratione tolleretur, omnipotentia: & hinc etiam Attributum Unitatis staturninari & porrò confirmari videtur. Ad hæc, necessitatem potentia tollere nequit; cùm igitur sit DEUS Unus necessariò, solus etiam necessariò erit infinitus: unde eâdem potentiâ infinitum nihil fieri posse videtur. Hinc deficiunt & defatiscunt prorsus, tanquam ros aut nebula sub calido aspectu Solis, splendida tantùm ista crepundia & nugæ de Creaturâ Infinitâ, de discrimine inter Infinitum majus & minus, & alia ejus furfuris, quæ tanto cum hiatu eventilantur.

Crassos etiam Materiæ cultores strenuè redarguit, ipsius animæ immaterialitatem & immortalitatem (consequentiâ satis manifestâ) ex speculationibus Metaphysicis & Mathematicis, ex pernicitate Phantasiæ, & Voluntatis libertate præmonstrans; quæ omnia ultra rudis & inertis Materiæ vires longè removentur.

THESES PHYSIOLOGICÆ.

NOn multum à ſcopo aberraſſe videntur, qui veritatem non tantum in Logicâ ſed & etiam in aliis Scientiis, pro formali ſatis attributionis objecto amplectebantur: non enim nimiâ morositate diſtinguenda ſemper eſt hæc & iſta Scientia, quaſi propria, & peculiaris eſſet uniuſcujuſque veritas: quippe ſibimet invicem ſubalternantur, & ſic ope mutua delitescens tandem veritas, ex profundo vel ipſius *Democriti* puteo erpitur; quâ inventâ, Philoſophus ab ipſis etiam ſenſibus, ad primam uſque Cauſam aſcendere poteſt: τὸ πρῶτον γὰρ ἄστρον ἐν τῇ εὑρέσει ἔσχατόν unde *Phyſiologo* qui veritatem contemplatur, ultimarum cauſarum cognitio finis non eſt, ſed initium, ad primas ſupremaſque proficiſcendi, uſque dum conſpiciat ultimum cauſarum annulum concatenatum *ipſius Jovis Cathedræ*: hic enim ſcopus, hæc unica meta videtur omnibus quibuſcunq; Scientiis, ut ſilicet: unanimi ſenſu Deum tanquam authorem ſuum agnoſcant, prædicent, & demonſtrent. Veritati etiam huic liquidiſſime ſuffragatur Philoſophia naturalis *Stentoriâ* voce DEUM eſſe clamitans: ſpectatiſſima quippe iſta & obvia naturæ Phœnomena ſunt tanquam univerſale manuſcriptum explicatis foliis omnium oculis expoſitum; unde Theologiam ſuam per multa ſæcula eruebant Ethnici: qui licet naturam demirati ſint, nullatenus tamen DEI immemores fuiſſe exiſtimamus, neque Phyſicam iſtam ex nugis poetarum ortam tantummodo ſuſpexiſſe, quæ in ſolo naturæ ſpectaculo reſpirans non invenit DEUM: Contrarium teſtatur *Socrates* chariſſimus naturæ diſcipulus, qui licet ex hac claſſe, ipſius tamen Deitatis Proto-martyr occubuit, ejus unitatem aſtruens.

Hinc miracula tantummodo inſtituuntur ad idololatriæ & ſuperſtitionis ſubverſionem, iis qui DEUM agnoſcentes, circa cultum ipſi exhibendum aberrabant: nullatenus tamen miraculis coarguitur Atheiſmus; cum ubique vel etiam lippientibus compareat & innoteſcat DEUS ipſius naturæ lumine, & ceteribus ſuis quæ verè miracula ſunt, abſque vulgaris idiomatis diſtortione.

Poſtquam

Postquam igitur hoc primum principium etiam sensuum suffragio comprobatum in Physiologia statuerit *Ratio*, in reliquis anxietatem a semet facile amolitur, omnes huc usque Principiorum Hypotheses, versatili phantasiæ scrutinio remittens, sive enim *naturales isti tremuli*, cum luce & tenebris suis, aliisque id genus formulis, figuris, & obscuris characteribus, ignotis & exoticis verbis & terminis, quæ non magis à semet quam ab aliis comprehenduntur: sive, inquam, hæc *Roseæ crucis* phantasmata; an vero hypostatica ista Principia quæ ab *Hermeticorum* dogmatum sectatoribus probantur, *Sal*, *Sulphur*, & *Mercurius*: an penes hanc, an vero præcedentem hypothesin cedat Laurea, perinde est inquit *Ratio*. Determinatu tamen difficillimum esset, si modo præmium ad obscuriorem ex hisce sectis spectaret, cum & hic & ibi non minus abditus videatur verborum sensus, quam huc usque frustra tam sedulo conquisitum *elixir*.

Ingeniosissimam etiam agnoscit Mechanicam Philosophiam satis solidis materiæ & motûs fulcris statuminatam; si modo satis ante diem non abreptus, ad umbilicum tandem deduxisset ingeniosissimus ipsius author; qui nullatenus casu aut cæco fato tam pulchrum rerum systema ab origine instituendum autumabat: Sed omnes inferiores motus ab ipso primo motore pio ac rationali derivabat suffragio, in hoc puncto *Epicuri* sectatoribus palmam longe Præripiens.

Quamobrem cum ex falsis præmissis veræ conclusiones deducibiles sint, & cùm sic, ut & aliter etiam, Phænomenon explicari possit: vel huic vel isti Hypothesi acquiescet ratio nostra, usque dum rationi repugnare & aperte secum dissentire reperiatur.

In naturalibus disquisitionibus, *Peripatismo* sepositò (de quo, ut de *Carthagine*, *Præstat silere quam parca dicere*) Philosophiam etiam experimentalem expansis ulnis *Ratio* amplectitur quam tanto jam plausu & *Orbis* & *Europa* suspicit; quippe lentis & solidis experimentis progreditur, parce damnat, parcius admittit aliquam conclusionem absque infallibili, tum sensus tum rationis testimonio.

Nullus

Nullius enim planè pretii aut usus in Philosophia naturali sunt *Phantasmata* Rationis; eum falsa semper statuantur apud nos quæ mente solâ, vel ratione ratiocinatâ percipiuntur; si modo extra ipsum intellectum talia non existant: Physica enim rerum sensibilium scientia est, non plura pro veris astruens & assumens quam docuerit experientia: unde frustra hic obtenduntur ista quæ sensibus non occurrunt: & multis parasangis præferenda videtur hæc methodus Apodeixi isti, ut nomine tenus tantum audit, *A Priore*; quum compertum sit omnes istas dialecticas strophas patroni ingenium multò solidius quam sententiæ patrocinatæ certitudinem demonstrare: ubi meris Præstigiis sensus falli constat, licet speciatim non detegatur fallacia.

Ab hisce experimentis pleraque conclusiones Philosophicas primæ notæ jam deductas cernimus: unde pulcherrimam tandem integræ Physiologiæ fabricam superstruendam speramus: hisce Gravitas Aëris & Elaterium extra omnem controversiæ aleam jam longe removentur, quomodo & Vacui fuga, vel *Succio* etiam in lactentibus puerulis, aut Nicotianæ digluvie, solidissimè redarguitur: quippe hinc constat nullum esse motum in rerum naturâ per *Attractionem*; sed fluida tantum per pulsum moveri: unde frustra in tractatulo suo de Sympathia tanquam portentosum exhibetur experimentum istud aquæ ascendentis in pannum applicatum, à spectatissimo & eruditissimo *D. Kinnelmo Digbæo*, cum absque hac occulta sympathiâ, Causa, ab hac pulsione sc. satis manifesta, in propatulo sit. Pleraque etiam alia porismata hinc deducta & deducibilia fuse & dilucidè admodum explicantur ab ornatissimo D. *Georgio Sinclaro nostro*, celeberrimo nuperrimè Philosophiæ Professore in Arte sua Magna Gravitatis & Levitatis. Huic etiam plurima & præstantissima vitæ humanæ commoda tribuere tenemur; suadet enim spirituum animalium usum & existentiam: sensibus etiam sanguinis circulationem demonstrat: cum multis aliis quæ tandem *serio veniens usu ab omnes* præmonstrabit.

Arcanis tantum & abditis hisce naturæ mysteriis instructus ab imperitioribus colitur Diabolus, licet (utpote finitæ tantum potentiæ) intra finitum naturæ gyrum & ambitum reprimatur:

iisdem

isdem enim naturæ principiis, quibus nos, uti videtur; tantum modo longa experientiâ edoctus novit callidius activa, passivis apte dispositis accommodata applicare, quæ suos effectus sub quolibet Magistro, proculdubio, proferent; unde *Paracelsus* suadet Artem usurpandam, *Diabolum* relinquendum; & huc appositissime nunquam satis celebrandus *Verulamius*, de secretis operibus Artis & naturæ, inquit, *Non oportet ignave nos ad magicis illusionibus, cùm potestas Philosophiæ, doctæ operæ quod sufficit.*

Licet nunquam nobis arridebat Dodonæo fonte proluere labra nec Circes *virgam arripere unde & atra & alba pullulabunt Germina, uti eandem facem accendebat & extinguebat fons iste Dodonæus: Contradictorios istos fasces nullatenus suspicimus; ita neque nimio morigero obsequio Dogmatistarum oraculo, veneramur. Quamobrem ne fusius quam instituti Ratio suadebat Rationis Præcepta indulgentis litigandi tempus nimium coarctasse videamur,* Problemata *ad numerum usque quotidiè recocta substituenda duximus?*

1. *Quid sc. sit* Logica: *an Scientia, an Ars, an quodcunque demum quisquam de eo statuerit?* 2. *An ullum objectum habeat; seu quid demum fuerit, etsi obnoxium? Num dentur Præcisiones objectivæ, formales, an vero connotata extrinseca sufficiant?* 4. *Num prædicabilitas sit intrinseca vel extrinseca? Num de futuris contingentibus detur determinata veritas vel falsitas.*

. *Num Ens sit Univocum, Æquivocum, an vero Analogum respectu inferiorum? An* DEUS *inter hæc inferiora comprehendatur? An substantia & Accidens omnes subsse Entitates complectant? 3. An ens creatum & increatum adæquatum Entis conceptum exhauriant: seu, an detur aliquid tertium ad neutrum ex his ce reducibile? 4. In quonam consistat formalis ratio substantiæ & accidentis. 5. An paternitatem sibi vendicat* Petrus *ex mero intellectus beneplacito.*

1. *Quid sit prima morum regula? Num Voluntas possit appetere malum etiam sub formali ista reduplicatione? An detur Bonum nec honestum, nec utile, nec jucundum? 4. An volenti*

posse

possit fieri injuria 5. *An detur Dominium duorum in solidum; ad quem pertineat dominum in instanti donationis: an ullius Juris sit?* 6. *An Voluntas sequatur ultimum judicium intellectus practici nec ne?*

1. *Num in corporibus naturalibus ulla reperiantur Principia; vel an ulla ex ducentis istis sententiis circa Principia corporis naturalis à quodam enumeratis Veritatis suffragio comprobanda; an verò ex Principiorum albo omnia expungenda sint?* 2. *Num sufficiat Principium activum absque passivo; an è contra; an vero in uno & eodem coincidant: & sic, num dentur atomi Hermaphroditi.* 3. *An ullum detur Continuum, & dato, num divisibile sit in infinitum & sic infinitum finitum consequatur; an vero ex indivisibilibus constituatur?* 4. *An ullus detur, Motus vel quies?* 5. *Num in sensibilibus qualitates formaliter, an vero virtualiter tantummodo reperiantur: unde, an cæci de coloribus dejudicare possint: an nivi competat albedo, igni calor, num mel sit dulce, absynthium amarum?* 6. *An omnia sint gravia?* 7. *Num ex atomis, an vero alibunde explicabilis sit Attractio Magnetica?* 1. *An Mundus sit Animatus?* 2. *Num Hypotheses* Ptolem. Copern. Tychon. *An vero* Cartes. *An quinta ab omnibus hisce distincta præferenda sit?* 3. *An* Sol *luceat: an sit lamina candens: an Lapis ardens.*

In omnibus hisce, quamcunque quæstionis ansam, pro lubitu suo, ut sibi maxima allubescit arripiat opponens.

BRITISH
9 JU 81
MUSEUM

FINIS.